

לְבָנָה de terra habitabili, que propriè dicitur, tebel, Hebraicè, & οἰκουμένη Græcè, id est, orbis terræ habitabilis; & cùm dixit, omnis plenitudo eius, declarat, se intellectissime præcipue de hominibus, qui habitant in eo, non de ceteris rebus, quæ in ipso sunt.

II. Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.

Probat Deum, Dominum esse orbis terræ, & omnium habitatiū in eo; quoniam ipse fecit terram, & fecit eam supereminere aquis, ut esset habitabilis. Nam si vel aquis omnino careret, vel esset aquis vndique coperta, inhabitabilis esset. Quia ipse, inquit, super maria fundauit eum, id est, à fundamentis fecit orbem terræ, ac per hoc ex nihilo fecit, & fecit super maria, id est, vt superficies terre esset altior superficie maris, & similiter super flumina præparauit eum, id est, præparauit orbem terræ ad habitationē hominum, & ideo fecit superiorem, & altiorē fluminibus; alioqui enim mare, & flumina terram obruerent, si altiora essent. Ex hoc autem quod Deus terram habitabilem fecit, sequitur, vt sit etiam Dominus omnium hominum, tum quia homines ex terra facti sunt, & in terram reuertuntur; tum quia terram incolunt, non vt Domini, sed vt coloni à Dco constituti, vt terram colant.

III. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?

Cum omnes homines coloni, & serui Dei sint, & omnes pariter terram, quæ Dei possessio est, incolant: Quis ascendet in montem Domini? id est, erit ne aliquis ex tanto numero, & quis ille erit, qui dignus sit ascendere ad locum, ubi propriè habitat Deus? Vocatur mons Domini (vt alias sæpè diximus) domus cœlestis, quæ est verè sublimis, & sancta, de qua dicitur in alio Psalmo, Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filius hominum. Qui hunc locum exponunt de monte Sion, qui erat in Hierusalem ciuitate Iudeæ, videntur nullo solido fundamento nisi posse, cum constet, montem illum plenum fuisse hominibus omnis generis, vt

planè ridiculum videatur de illo dicere, Quis ascendet in montem Domini?

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo.

Respondet, quatuor conditiones requiri in eo, qui sit ascensurus montem Domini. Prima est, vt sit innocens manibus, id est, nihil mali perpetrauerit: altera, vt sit mundus corde, id est, nihil mali cogitauerit, aut cupuerit: tertia, vt non acceperit in vano animam suam, id est, vt non frustra vitam à Dco acceperit, id est, non solum nihil mali fecerit, vel cogitauerit; sed etiam ea omnia bona cogitauerit & fecerit, quæ ad finem sibi à Dco constitutum obtainendum requiruntur: quarta, vt non iurauerit dolore. Illud, qui non accepit in vano animam suam, aliqui detinent ad iuramentum, vt sequens particula sit explicatio superioris. Volunt autem legi, qui non accepit in vano animam eius, id est, Dei; vel iuxta puncta Rabinorum, qui non accepit in vano animam meam, vt Deus loqui intelligatur. Verum hæc expositio non videtur probabilis; tum quia sine causa Rabini legi volunt, animam meam, cùm vox Hebreæ habeat pronomen tertiae personæ, non primæ, & in tertia persona verterit S.

לְבָנָה

לְבָנָה

Hieronymus; tum quia lectio illa, animam eius, est omnino noua, & inaudita, cùm Latini, & Græci hactenus in ea voce intellexerint relatiuum reciprocum, nimirum animam suam; tum denique, quia nomen Dei in vanum accipere, pro eo quod est, falso iurare per Deum, habetur in Scripturis nimis, sed animam propriam, vel animam Dei in vanum accipere, pro falso iurare, nusquam legitur. Alij volunt animam suam in vano accipere, nihil esse aliud, nisi vana, id est, temporalia, & caduca cogitare, & concupiscere: sed hoc iam comprehensum erat in illo, Mundus corde, & videtur coactum, & durum. Addidit verò Propheta quartam illam conditionem, de iuramento doloso, vt in eo peccato, quod est vnum ex maximis, cùm sit pariter contra Deum, & contra proximum,

N

com-